



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Qualiter indignus abbas à suo separetur officio. xcvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

avaritia incentorum exharedati esse noscuntur. Si vero nescientibus episcopis aut abbatibus, ministri eorum, quilibet videlicet in clero, hoc fecisse conuincuntur, episcopi & abbates, desidia: illi vero rapacitate & avaritia, iudicentur. Hoc vero quod quis Deo iuste & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter Ecclesia tenere debet.

Ut abbatissa magnam curam habeat de congregatione sua. Cap. XCIII.

Ex eodē. cap. 26.

Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, & provideat ut in lectione & officio, & in modulatione Psalmorum ipsa sanctimonialis strenua sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem redditura in conspectu domini: & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi & potus peccare compellantur.

Ut sanctimoniales in domibus suis cum aliquibus masculis manducare vel bibere non præsumant.

Caput XCIV.

Ex eodē. cap. 27.

NON debere sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis, clericis, siue laicis, conuicinis, siue extraneis bibere siue comedere: sed si quantum ad id agendum est, in auditorio agatur, & cum nullo maleficio eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibidem testimonium idoneis.

Qualiter indignus abbas à suo separetur officio.

Caput XCVI.

Ex cōcil. Triburi. cui interfuit rex Arnolph. cap. 15.

SI quis autem abbas cautus in regimine, & humilis, castus sobriusque, misericors, disceturs non fuerit, ac uina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab episcopo in cuius territorio consistit, & à vicinis abbatibus & ceteris Deum timentibus à suo arceatur honore, etiam si omnis congregatio vitiis suis consentiens, abbatem eum habere voluerit.

De clericis qui tonsuras dimiserint, & uxores acceperint. Caput XCVII.

Ex eodē cōcil. præfente Arnolpho rege, ca. 16.

Clericus si tonsura dimissa uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu nec ad monasterium aliquod à parentibus traditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram negligere audeat.